

H 1856 17

SYMPHONIAE SACRAE
 ORIGINES DIVINAS, PRAESTANTIAM
 ATQVE VICISSITVDINES
 EXPONIT
 ET AD
 ANNI P. C. N. MDCCLXXIII
 RITE CAPIENDA INITIA
 AB
 EXERCITIO ORATORIO

IN
GYMNASIO HALLENSI

DIE XI IANVARIII HORA II A MERIDIE

INSTITVENDO

ILLVSTRIVM GYMNASII PATRONORVM
 SPECTATISSIMORVMQVE FAVTORVM
 SPLENDIDVM CONSESSVM

MODESTISSIMIS PRECIBVS EFFLAGITAT

IOHANNES GOTTOFREDVS TAVST

GYMNASII RECTOR.

HALLAE MAGDEBVRGICAE
 EX OFFICINA FRIDERICI AVGVSTI GRVNERTI.



STAPHYLIAE SACRAE
ORDINIS DIVINAE, PRAESANTISSIMAE
ACADEMIAE VITENSIUM
LIBRARIUM



ANNO M. DC. CC. LXXIII
DIE 14. JUNII
EXERCITIO ORATORIO

GYMNASIO HALLIENSIS
DIE 14. JUNII M. DC. CC. LXXIII
PRAESIDIUM

ILLUSTRISSIMO AC
REVERENDISSIMO PATRONO
MAGISTRO JOHANNI
FRIDERICO AVGVSTO

IOHANNES GOTTFRIEDUS TAVERT
COMMISSARIUS

HALLAE MAGDEBURGICAE
EX OFFICINA FRIDERICI AVGVSTI GRVNERII





Ad supremi numinis spirantem imaginem cum
 genus humanum eo sit sine efformatum, ut ex
 eo, tamquam limpidissimo speculo, diuinæ
 majestatis gloria, id est, virtutum diuinarum
 salutaris notitia, justitia, sanctitas, bonitas
 clementiaque diuina radiaret luce, corporis-
 que ministerio cum sodalibus communicaretur: nulla profecto
 corporis facultate caeleste hoc ornamentum euidentiùs in apri-
 cum potest proferri, quam exacto ad sanæ rationis leges sermo-
 ne, quo caelitus acceptum sapientiæ virtutisque lumen in com-
 pluribus aliis accendere, suasque de Deo rebusque diuinis notio-
 nes quam plurimorum mentibus informare potest. Quod quis-
 quis amore numinis intimo accensa mente, et ore laudes ejus ex-
 imie celebrante præstat, ille cultu numinis defungitur præstan-
 tissimo, cultuique caelestium geniorum quam simillimo, qui
 continuis majestatem diuinam laudibus venerantur. Cultus illius
 diuini præcipua pars est symphonia illa sacra, quæ sabbato di-
 uinitus instituto christianorum publicis conciliis vnanimi voce
 2 2 perfo-



personat. Quem diuinitus esse institutum exinde colligitur, quod Deus septimam a creatione lucem faustam sibi que sacratam esse voluerit, id quod ex tertio legis diuinae praecepto patet: *diem sabbati sancte agere memento*. Quid vero laudibus diuinis sanctius, quid Deo dignius queat cogitari? Hymnos itaque diuino compositos instinctu Iouae laudes celebrantes, et a coetu Iouam colente publico concentu fuisse decantatos, cantica Mosis et fororis eius Exod. XV, nec non Deut. XXXI et XXXII comprobant: quorum posterius Moses conscribendum posterosque docendum praecepit. Maxime vero diuinae originis fuisse illae a Davide diuino spiritu animato compositae, et ab ipso, ejusque filio Salomone in cultu Iouae publico Leuitarum *symphonia sacra* decantandae, diuina auctoritate instinctuque introductae et ad Solymorum vsque excidium continuatae. Id quod Dauides de se ipso proficitur 2 Sam. XXIII. *Dicit Dauid Isaci filius — dicit vir unctus dei Iacobaeorum constitutus, Israeliticorum carminum deliciae: IOVAE SPIRITVS PER ME LOCVTVS EST, EIVSQUE EFFATVM IN LINGVA HABEO*. Idem confirmat Petrus Act. I. *oportet impleri scripturam, quam praedixit spiritus sanctus per os Davidis: totque Dauidica de Messia vaticinia in vita Christi exacte impleta Psalmorum diuinam inspirationem euentissime comprobant*. Iudice igitur TERTVLLIANO Dauides et reliqui psalmorum auctores ipsius Spiritus sancti fuisse amanuenses. Ipsorum vero harmonica in publicis Israelitarum sacris modulatio haud postrema cultus diuini pars fuit, a Dauide quippe Salomoneque, viris diuino afflatis spiritu ordinata, id quod ex 1 Paral. XXIX, 11. 13. patet, vbi Dauides cum schema templi a Salomone condendi, tum omnem obeundum in eo Leuitarum cultum filio praescripsisse memoratur, eodem ordine ac ritu, quo 1 Paral. XXIII. sacerdotibus ac Leuitis quotidiana matutina et vespertina sacra coram arca Iouae obeunda vltimo suo mandato injunxerat, Leuitisque praeceperat, vt sacrificantibus sacerdotibus *singulis matutinis ad Iouam celebrandum at-*
que



que laudandum, itemque vespertinis, nec non in sabbatis, nouiluniis ac sollemnibus, et quidem ritu apud Iouam perpetuo. Ritus ille symphoniae sacrae Dauidicus ex praescripto paterno, a Salomone in templum fuit introductus atque continuatus, donec aliquamdiu intermissus ab Ezechia restauraretur, 2 Paralip. XXIX, 25, 26. qui in templi reformatione Leuitae symphoniacos cum cymbalis, nablis et citharis, ex praeepto Dauidis, Gaddi regis fatidici et Natbanis statuebat: ERAT ENIM EA DISCIPLINA A IOVA PER EIVS VATES PROPECTA. Igitur adstantibus Leuitis Dauidis instrumenta et sacerdotibus tubas tenentibus iussit Ezechias solidum sacrificium fieri: EODEMQVE MOMENTO ET SOLIDVM SACRIFICIUM COEPIT, ET CARMEN IOVAE CANTARI, et Dauidis instrumenta pulsari, et vniuersus coetus personare carmine, tubis clangentibus, adorare, quae omnia durarunt, donec sacrificium est absolutum. In sacrificio vero jugi matutino et vespertino psalmos Dauidicos voce et chordarum concentu fuisse decantatos, simulac a SAGANE libaminis signum sudario daretur, HADRIANVS RELANDVS ex operis Talmudici part. V. KODASCHIM docet; in prima nimirum hebdomadis die cecinisse Leuitas ex suggesto atriis sacerdotum Psalmum 24: tertia Pf. 48: quarta Pf. 94: quinta Pf. 81: sexta Pf. 93: ipso sabbato Pf. 92. Idem RELANDVS, in antiq. Iudaicis p. m. 417. c Talmude docet, ללל, seu hymnum magnum sex psalmorum, Pf. 113-118 octodecim quouis anno diebus ab Israelitis fuisse decantatum, octo videlicet diebus festi Tabernaculorum, octo diebus encoeniorum, in festo pentecostes ac die nocteque, qua Pascha celebrabatur. In quo paschate quatuor vini calices a conuiuiis fuerint exhausti, quorum tertius calix benedictionis fuerit appellatus. Inter haec hymnum hunc magnum diuisim fuisse decantatum, ita, vt sub initium Pf. 113 et 114, sub finem Pf. 115-118 concineretur. Maxime itaque probabile est, eundem hymnum Christum cum discipulis in coenae institutione decantasse, de quibus Matthaeus XXVI, 30. ait, eos ὑμνοῦσαντας, hymno solenni decantato, exiisse in montem oliueti





oliueti. Praecipuum vero cultus diuini momentum in hymnis Dauidicis fuit doctrina sacra, cum odae Dauidicae quasi compendium Theologiae reuelatae purioris iudaicae contineant. Nul- lum enim fere hujus caput est, quod non hinc inde in libro psal- morum sit dispersum, cum psalmis constet *didascalicis, consolato- riis, petitoriis, eucharisticis, paraeneticis et propheticis*, in qui- bus plerisque larga laudum louae rerumque diuinarum, praeci- pue mundi seruatoris messis exuberat. Ecquid vero ad erudien- dos mortalium animos in salutari numinis cognitione cogitari queat efficacius his diuinis dogmatibus? quid ad inspirandam vi- tiorum detestationem virtutumque studium tot praeceptis morali- bus salubrius? quid ad accendendum numinis hominumque amo- rem tot argumentorum ponderibus accommodatius? quid de- nique suauissima hac publici concentus in diuinis laudibus harmo- nia ad beatorum caelitem laetabundos plausus dulcesque hymnos imitatione propius queat accedere hac sanctissima vnanimique hymnorum Dauidicorum modulatione? cujus sub emblemate diuini vates inprimis Iohannes caelestium geniorum sempiter- nam ouationem, quam iucundissime adumbrarunt.

Eadem symphonia sacra primos christianos Christi et Apo- stolorum exemplum in cultu diuino esse imitatos ex eorum con- fessione coram PLINII *Bityniae praesidis* tribunali edita con- stat. Auctore enim ipso PLINIO Lib. X. ep. 97. facti sunt, *se esse solitos STATO DIE ante lucem conuenire; CARMENQUE CHRISTO, QVASI DEO dicere SECVM INVICEM.* Quibus verbis per *statum diem* Dominicam, per *carmen Christo quasi Deo* hymnum in laudem diuinae Christi majestatis, per *secum inuicem carmen dicere* symphoniam sacram denotarunt. Eadem repetit EVSEBIUS in Hist. Eccl. lib. III. c. 27, quo narrat: Plinium Trajano renunciasse, *ἀνίστασθαι ἐσθ' ἕν τῆς χριστιανῶν, καὶ τὸν Χριστὸν Θεὸν διὰ τὴν ἡμέραν*, mane Christianos surgere, et Christum in- star Dei hymnis celebrare. Perinde TERTULLIANVS in *Apo- logetico aduersus gentes c. XXXIX* docet, a christianis post aga-
pas



pas hymnos esse decantatos. Inter christianos itaque gente graecos, quales Bithyni erant, haec symphonia christiana originem nata est. Ex his Graecorum hymnis sacris jam saeculo secundo notus est ille CLEMENTIS ALEXANDRINI in laudem Christi, ejus PAEDAGOGO subjunctus. Saeculo demum quarto et quinto p. c. n. symphonia sacra a Graecis ad Latinos transiit. Primus in occidente circa medium saec. IV. hymnos in sacris introduxit HILARIUS, Pictaviensis praesul. Quem excepit AMBROSIVS, Mediolanensis praesul, auctor hymnorum, *Te Deum laudamus*, et *veni redemptor gentium*, nec non *veni Creator Spiritus*. Post hos hymnorum sacrorum latini scriptores fuere PRUDENTIVS, qui claruit circa annum Chr. 400: SEDVLIVS 440: APOLLINARIS SIDONIVS 480: GREGORIVS MAGNVS 590. Sed jam saec. IV. graecos quoque monachos cantu sacro deum coluisse, ex CHRYSOSTOMI *comparatione regis et monachi* discimus, de quo c. IV. ait: *μόναχον ὀψόμεθα τῆς νυκτὸς πολὺ πρῶτερον ἄδοντα τῶν ὀρνίθων, τοῖς ἀγγέλοις συμβιοτεύοντα*, monachum videbimus noctu multo ante auiculas cantantem cum angelis versantem. Saeculo quippe V. auctore ALEXANDRO, syriaco quodam monacho, in coenobio Constantinopolitano, cui a conditore STUDIO consule nomen STUDII haesit, symphonia sacra continua interdium noctuque fuit introducta, cujus coenobii monachi, in tres diuisi classes, alternis vicibus cantantes, ACOEMETORVM, id est infomnium seu vigilantium adepti sunt nomen; non, quod perpetuo vigilarent, sed quod diu noctuque, in tres diuisi classes, in ecclesia psallerent, vna classe alteri succedente, sine officii sacri interruptione. A Graecis hic mos etiam ad Latinos transiit. In occidente igitur, circa finem saeculi VI. GREGORIVS M. symphoniam sacram instituto collegio cantorum inprimis excoluit, ipse hymnos composuit, eorumque modulationes excogitavit. Notum est ejus *Antiphonarium* et *Litania septiformis*, cantusque Gregorianus in plerasque occidentis ecclesias fuit receptus. VITELLIANI namque, Romani praes-





praefulis auctoritate symphoniae illius sacrae latinae ritus a. c. 666
 in Britanniam, inde in Galliam, utramque latini sermonis ru-
 dem migravit, et a *Bonifacio* in aequae barbarae gentis Germa-
 nicae finibus longe lateque fuit propagatus. Eoque Romanensium
 in sacris dominatu symphoniae sacrae cultus in tristem rudis vulgi
 degeneravit superstitionem. Collapsa saec. VIII. monachorum di-
 sciplina novum quoddam genus hominum, inter monachos et sa-
 cerdotes medium, a *CHRODEGANGO*, Metensium praefule, fuit
 prognatum, monachorum quidem votis non adstrictum, ex par-
 te tamen severiorem eorum disciplinam imitantium: communi
 quippe domo mensaque utebantur, quotidieque certis horis com-
 munitibus precibus symphoniaeque latinae vacabant, *FRATRES*
DOMINICI primum, postea *CANONICI* appellati, a canone vel
 regula precum hymnorumque statis horis, quae *CANONICAE*
 vocabantur. Exemplum horum *Francos* primum, deinde *Ita-*
los, *Anglos Germanosque* accendit, ut conditis ejusmodi collegiis
 canonicam vivendi rationem imitarentur. Inprimis *LVDOVI-*
CVS PIVS magna hoc vitae genus cura fovit, et per omnes
 imperii prouincias propagavit. Complures tamen regulae suae
 laxantes vincula, quamvis reditus victumque demensum retine-
 rent, *SAECVLARIVM CANONICORVM* obtinere nomen. Ho-
 rum tamen alii saec. XI. auctore *IVONE*, Carnotensium praefule
 ad canonis normam seruandam reuerſi, *CANONICORVM RE-*
GLVLARIVM leges nomenque vsque ad reformationem conserua-
 vere. Gemino quidem genus hoc vitae laboravit vitio: primo,
 quod non nisi symphoniae latinae vocaret, deinde, quod hora-
 rum statarum multitudo, humano prognata ingenio, sub specie
 cultus diuini libertati christianaee jugum imponeret: ab illorum ta-
 men temporum reliqua superstitione aliquanto remotiores, quod
 non nisi odas Dauidicas hymnosque antiquae purioris ecclesiae
 christianaee conjunctim decantarent. Id quod ex Psalterio Dauidis
 latino *DOCTORIS PETRI WIRTH*, primum *Wratislauiensis* et
Lignitensis Canonici, deinde collegii b. virginis in *Acad. Lipsiensi*
 collegae,



collegae, 1521 Romae defuncti, colligo. Diuisum est hoc psalterium parte libri prima per singulas hebdomadis ferias, et cuiusvis feriae septem HORAS, quarum sequentia ex antiquitatibus ecclesiasticis reperita nomina haec sunt:

HORA I. *Nocturnum*, et ad laudes nuncupata, quod in ea psalmi, *laudate dominum* continentes fuere decantati.

HORA II. proprie diurnarum prima, ad solis ortum, in memoriam Christi resurgentis.

HORA III. eadem *aurora* et *hora sacra vocata*, aliquantum post solis ortum.

HORA IV. proprie diei sexta.

HORA V. diei nona, prope prandium.

HORA VI. Vespera dicta, post prandium, versus vesperam.

HORA VII. vulgo *completorium*, quod ea officium diuinum compleatur.

Quinque priores MATVTINAE vocantur, duae posteriores VESPERTINAE. Titulo AD MATVTINAS inscriptos exhibet Psalterium Wirthianum psalmos a primo ad centesimum nonum, titulo AD VESPERTINAS psalmos a centesimo nono vsque ad finem. Ad laudes etiam in sex posterioribus hebdomadis feriis subjunguntur cantica 1) Esaiæ c. XII. 2) Ezechiae, Esaiæ c. XXXVIII. 3) Annae, 1 Reg. II. 4) Moyfi, Exod. XV. 5) Habacuc, c. III. 6) Moyfi, Deut. XXXII. nec non alia sacri codicis, cum canticis Mariae, Zachariae et Simeonis, et post tria symbola hymnus Ambrosianus. Posteriorem libri partem absoluunt HYMNI DE TEMPORE, id est, diuersorum festorum, Ambrosii, Sedulii, Fortunati, Prudentii, Gregorii, Lactantii, Bonauenturae, Thomae Aquinatis, Gregorianique septem de septem operibus creationis in singulis hebdomadis dies. Nonnulli horum antiquissimorum hymnorum a b. LVTHERO in germanicos rhythmos translari deprehenduntur. Auctor huius Psalterii cum a. 1521. sexagenarius diem obierit, vero simillimum est, ipsum Canonicum, morem in his collegiis antiquissimum in hoc symphoniae sacrae

b
cano.



canonicae systemate esse secutum. Colligimus ex his, non omnem in spississimis superstitionis traditionumque humanarum tenebris, legitimum symphoniae sacrae usum penitus fuisse extinctum, quamvis variis abusibus fuerit contaminatus; maximaque ciuitatis christianaee latinae pars crassa rerum diuinarum ignorantia capitalibusque in rebus diuinis erroribus esset occaecata. Tanto magis est, quod sibi gratuletur repurgata per reformationem ciuitas Christi, quod discussis tenebris, Euangelii luce fuerit collustrata, et ab impotentissimi dominatus sacri seruili iugo emancipata, symphoniaque saniore in lingua patria laudes diuinas, vnanimi concentu decantando, cultum numini praestare possit gratissimum, suauissimum vereque angelicum. Debemus hoc beneficium post Dei clementiam beato potissimum Luthero cum reliquis reformatoribus, qui purioris primaeuiae ecclesiae hymnos latinos in metrum germanicum transtulere, ac ingenti hymnographorum multitudini exemplo praeiuere, praestantissimos hymnos germanicos sacros componendi, in sacris publicis suauissima pariter ac sanctissima animorum vocumque harmonia decantandos. Quo quidem laudum diuinarum concentu nihil cogitari potest diuina maiestate dignius, nihil mentibus Deo dicatis laetabilius, nihil beatorum caelorum aeternis plausibus magis congruum. Iam ad vos, suauissimi Gymnasii tirones symphoniaci, mea conuertitur oratio. En vobis! quod pretium officio vestro diuino in sacris publicis sit statuendum. Nolite existimare, harmoniam concentumque vestrum sacrum Deo minus fore acceptum, quam Leuitarum aut Deum serio venerantium Canonicorum concentum, si ex praeepto Paulino, ad Ephes. V. 18. 19. omnem curam cogitationemque vestram, si preces quotidianas seriasque in eo collocaueritis, *ut impleamini Spiritu sancto, et loquamini vobismet ipsis in Psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, et (ore eleganter cantantes) psallatis in cordibus vestris domino gratiasque agatis semper pro omnibus Deo et patri.* Hunc pietatis imperum, hos sacros animi motus si cum oris suauissima modulatione confociaueritis: angelico

profe-



perfecto in terris defungemini munere. Neque est, quod animum vestrum frangat ac debilitet quotidianus ille profanorum hominum contentus, et calamitosa illa, cum qua plerisque vestrum colluctandum est, rerum omnium inopia. Mementote, homini christiano nihil euenire posse salubrius, quam si, optimi seruatoris premendo vestigia, ex hujus mundi scelerata colluue ad caelestem enitatur patriam: mentemque Deo deuotam in falebrosa asperaque hujus vitae via hymnis sacris laudibusque diuinis erigat, soletur atque recreet. Post priuatam hanc pietatem officii vestri ratio postulat, vt in christianae ciuitatis publicis etiam ad sacra Deo facienda conuentibus, in conspectu hominum maiestatem diuinam pie, modeste decenterque symphonia vestra celebretis. Quod vt rite faciatis, CAROLI BORROMAEI, Mediolanensium saec. XVI. praefulis admonitiones Canonicis suis propositae non indignae mihi videntur, quae, demta omni meriti opinione, et vestro in sacris publicis, in ludi literarii precibus matutinis et vespertinis officio, quo sacro coetui canendi modum praecitis, accommodetur. Monita vero illa Borromaeana sunt sequentia:

- 1) Huic omnium primo maxime studete, vt in conspectu Dei omnipotentis puro corde castoque corpore ministretis.
- 2) Tum omnes in statione vestra statutis horis adfistite et ad Deum pro fidelium coetu pias religiosasque preces fundite.
- 3) Dum in loco sacro estis, memores estote, adesse Christum Iesum dominum, cui seruite cum timore et tremore.
- 4) Non pigri, non somnolenti, non oscitantes adestote, non mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis statura.
- 5) Attente, studiose, rite, pie, religiose diuinas laudes concelebrate, et psallite deo in conspectu angelorum, cantantes in cordibus vestris domino.
- 6) In Choro omnes pariter laudate nomen domini Psalmis, hymnis et canticis.



- 7) A quibuscunque colloquiis, et a litterarum et librorum lectionibus atque omni vagatione abstinete.
- 8) Prout seruos maiestatem diuinam venerabundos decet, state, genua flectite, caput aperite.
- 9) Accurateque omnia peragendo, coetui sacro recte riteque psallendi, sancte orandi pieque Dei colendi exemplum praebeatis.
- 10) In Psalmorum autem, hymnorum et canticorum intelligentiam studiosè incumbire, vt eo ad omnem pietatis venerationisque affectum incitemini.
- 11) Non mercedis lucro adducti, sed Dei charitate commoti diuinis officiis adestote; vt ex animo psalmi verba concinatis: *voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo Domine.*
- 12) Omnia inprimis agite mutua concordique pace ac fraterna vos inuicem diligite charitate, sanctaque animorum consensione estote conjunctissimi.

Iam vero ad totius scriptionis scopum reuocandus est calamus, et ILLVSTRIBVS PATRONIS ET GENEROSISSIMIS FAVORIBVS tabella breuissima suspendenda declamationum, craftina luce a tribus ingenuis Gymnasii SYMPHONIACIS recitandarum. Dicit nimirum

Iob. Gottl. SCHALLER, Lobejunensis, de somniorum natura, causis ac diuersis generibus, Oelhasianamque memoriam recolet, stilo latino.

Iob. Christoph. BATHE, Hallensis, somniorum naturalium causas atque genera enarrabit, eodem stilo.

Henr. Gottofr. STENDEL, Nordbusa-Thuringus, Theatrum sapientiae diuinae in somniis diuinis aperiet. Quibus Rector duorum diuinorum somniorum de reformatione praesagia subiiciens, faulta quaeuis ciuitati Christi apprecabitur.

P. P. in Gymnasio, d. 10 Ian, 1773.



1078

H 1856 77

SYMPHONIAE SACRAE
ORIGINES DIVINAS, PRAESTANTIAM
ATQVE VICISSITVDINES
EXPONIT



ET AD

ANNI P. C. N. MDCCLXXIII
RITE CAPIENDA INITIA

AB

EXERCITIO ORATORIO

IN

GYMNASIO HALLENSI

DIE XI IANVARIII HORA II A MERIDIE

TITVENDO

GNASII PATRONORVM


ORVMQVE FAVTORVM

OVVM CONSESSVM

S PRECIBVS EFFLAGITAT

TTOFREDVS TAVST

NASII RECTOR,



MAGDEBVRGICAE

DERICI AVGVSTI GRVNERTI.

